

*Notariatsinstrument enthaltend eine Erklärung einer Anzahl Magister der Universität über ihre Bekleidung.* Leipzig, 1468 Juni 8.

*Hdschr.: Diplomatarium Lipsiensis senatus T. IV. fol. 175.*

In nomine domini. Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo 5 sexagesimo octavo, indictione prima, die vero Mercurii, octava mensis iunii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli divina providencia pape secundi anno eius quarto, hora vesperarum vel quasi, coram me Martino Sporn arcium liberalium magistro sacraque imperiali auctoritate notario, in testium infrascriptorum ad hoc voca- 10 torum specialiter et rogatorum presencia, honorabiles et approbati viri, videlicet Iohannes de Spira, Iodocus de Kirchem, Eghardus de Hildenshein, Grawpen, Iohannes de Frankenfordia, Ioannes de Meran, Anthonius Rasch, Iohannes Stublinger de Cullenbach, Hieronymus Wunßidel, Nicolaus de Koburg, Iohannes Krelis de Ebern, Nicolaus Currificis de Ochßenfort, Casparus Doberkow de Frankenfordis, Petrus de Iuterbug, Cristoferus Mendil, Hieronymus Leiber de Augusta, Michael Balneatoris de Czwigkavia, 15 Heinricus de Bamberg, Marcus de Augusta, Iohannes Wilde, Tylemannus de Brunswig, Petrus Hern de Gottingen, Iohannes de Werdea, Philippus de Monte, Gregorius de Mittweid, Conradus Weißenburgk, arcium liberalium magistri, personaliter comparuere allegantesque quod quia die proxime sequenti universitatis studii Lipczensis missa secundum consuetudinem eiusdem esset celebriter peragenda et rector pretacte universitatis manda- 20 verit omnibus et singulis magistris, doctoribus et ceteris tam graduatis quam non graduatis studentibus, quatenus eidem misse decantande secundum modum, quo sub eadem missa fiendo interessent, decenter habituati quisque secundum statum suum sub pena pro tunc in eodem mandato expressa, quare prenominati magistri omnes et singuli in ecclesiam sancti Nicolai opidi Lipczensis Merßburgensis diocesis se recipiendo congre- 25 garunt, non quidem sinistra machinatione aliquid mali pretendentes, sed predictae universitatis honorem atque decorem quod non minoris auctoritatis aliis universitatibus esse videtur inspicientes, rectoris eciam mandati penam adnexam non minus incurrere timentes ultro, libere ac spontè, non dolo aut fraude conventi nec alicuius in detrimentum suum despectum, ymmo verius ut universitatis statuta atque rectoris mandatum servari 30 curarent, publice in manus meas omnes et singuli compromiserunt, quod predictae misse universitatis pro tunc peragende interesse vellent in habitibus magistralibus, scilicet birreta aut mitras in capitibus et scapularia aut capucia in collo deferendo. Hoc autem ut magis ratum haberetur et ne singulares confunderentur persone derisionibus, omnes et singuli magistri prefati se cuidam cedula michi supra nominato notario per eosdem 35 presentate inscripserunt, addicientes quod pretractatam compromissionem ducere vellent in effectum nedum in prehibita missa universitatis, verum eciam in omnibus et singulis missis universitatis ac eciam in aliis diebus solempnibus et actibus publicis, quibus ex statutis universitatis ac rectoris mandatis habitibus magistralibus secundum formam statutorum eorundem deferri precipitur, statuatur seu mandatur. Ceteris autem diebus ac 40